



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 68. Dubia Pontificis mens in præsentī rerum vicissitudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

honorum testificationes exhibebantur, soli tamen Cardinales capti detinebantur.

ſæcul. XVI.

A. C. 1513.

§. LXVIII.

Dubia Pontificis mens in præſenti rerum viciffitudine.

Ceterum incertitudo, cuinam parti Leo in præſenti Italicarum rerum ſtatu ſua ſtudia addicturus eſſet, omnium expectationem ſuſpenſam tenebat. Nec hac in re præceps conſilio erat Pontifex; hinc enim moleſtus ei accidebat Gallorum in Italiam reditus; illinc ſuſpectam habebat Regis Catholici fidem, & quamvis Medicæorum familiam Florentino imperio reſtitutam Hiſpanis deberet, minus tamen propenſum in eos fovebat animum, haud immemor Parmenſis ac Placentinæ ſeditionis, quam Neapolis Prorex concitabat. Nec firmum quoque præſidium ſibi in Helvetiis reſiſtitum exiſtimabat Pontifex, eoquod ipſi non niſi mercede conducti arma caperent, moxque, ſi præſtituto die ſtipendium deficeret, ſeditionem moverent. Præterea Maximilianus Sfortia non modo viribus impar erat, ſed etiam Sedi Apoſtolicæ ſemper oneri fore timebatur. Cæſarem quidem amicum habebat, cujus tamen amicitia ob mentis inconstantiam minus firma

firma

Sæc. XVI.
A.C. 1513.

firma, imo & periculosa videbatur. Denique Veneti non ita pridem cum Ludovico XII. foedus inibant, proin Papa, nisi Gallis accederet, se eorum ope frustratum iri cernebat. Hæc anxia secum consilia agitabat Pontifex.

§. LXIX.

Fœdus Gallos inter & Venetos firmatum.

Mortuo Julio Pontifice, Venetorum Respublica cum Gallis foedus firmabat; quippe Andreas Grittus, & Bartholomæus Livianus a Gallis dimissi recuperatæ libertatis suæ beneficium grato animo testari studebant, ac propterea Regi Christianissimo sua devovebant obsequia, moxque Regem inter & Rempublicam pacem conciliare nitebantur, ut hoc pacto Cæsaris consilia everterent, simulque Gallorum commoda promoverent. Obstabant unice Cremonenses, ceteræque urbes ad Abduæ fluminis oram sitæ, quæ ex foederis legibus Mediolanensi Ducatui accrescere deberent, quamvis huic conjunctioni Veneti vehementer obluctarentur; ast demum & ipsi, Gritto auctore, huic articulo, qui unicum reconciliationis obstaculum erat, cedebant, ut eo facto Grittus plene votis damnatus esset; Veneti enim juribus suis in Cremonensem